

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Joh. George Neumanns ... Erörterung der Frage Vom
Termino Salutis Peremptorio, Oder Der von Gott
bestim[m]ten Ganden-Zeit**

**Neumann, Johann Georg
Green, Georg Sigismund
Avenarius, Johann**

Wittenberg, 1700

I.N.J. [lateinisch]

urn:nbn:de:bsz:31-105519



I. N. 7.

Vi mores & studia hominum novati-
rientium examinant, non poterunt non
istam qvoqve deprehendere versutiam,
qua sub qvodam *abusum pretextu*, du-
biā reddere purioris fidei doctrinam,
tandemqve subvertere penitus allaborant. Ita;
cum *libros Symbolicos* tot errorum undiqvaqve in-
simulant, non repudiare qvidem illos videri cu-
piunt, sed nimiam corum æstimationem, vel ut
ipsi loqvuntur, abusum auctoritatis Symbolicæ sal-
tem improbare; re ipsa tamen id moliuntur, ut inte-
gerrimum hoc fidei vinculum rumpant, adeoq; Re-
gem sibi exoptent, qvi, perinde ut Hiskias qvondam
æneum serpentem, plane comminuat illud redigat-
qve in cineres ac dissipet. Deinde neminem fugit,
qvantopere *Absolutio privata*, qvæ in Ecclesia hac te-
nus viguit, exagitata, qvotqve adversariorum odiis
appetita fuerit. Nunc vero ex nobis ipsis exsurgunt,

A 2

qvi

qui editis, de *abusu Absolutionis privatae*, libellis, eo
progressi audaciæ sunt, ut sub hac προΦάσει, rem
ipsam qvoq; & verissimum ejus usum e medio susti-
lerint. Major qvidem S. Cœnæ debebat esse religio;
sed nec illa, partis adversæ effugit convitium; qvando
non ita pridem in vulgus prodiit homilia, vel potius,
δημηγορία qvædam: de *Abusu S. Cœna*, qva, pro-
pter indignos simul accedentes, nec satis exploratam
qvorundam Ministrorum sanctitatem, sic distrahu-
tur animi simplicium, ut utrum subducere sese sacræ
huic Synaxi, an eandem celebrare debeant, dubii e-
vadant, tandemq; plane hinc avocentur. Tum &
illud nobis cognitum est, qvod in *Altaria, Suggesta &*
Baptisteria, non secus ac in tria qvædam idola decla-
mentac debachentur; nec ante nitidiorem illam Ec-
clesiæ Apostolicæ faciem, prodituram, existiment
qvam hæc sedibus suis submota fuerint atq; elimina-
ta. Quid, qvod ipsius *gratiæ divinæ* aliquem commi-
niscuntur abusum, ideoq; vel largius in Ecclesia, Legis;
parcius autem, Evangelii præconiu expetunt; Et quis
omnibus λόγοις Φορτιοῖς vel recitandis sufficiat?

Sed enim vero, de his talibus illud B. Lutheri hic
usurpes: *Hæ sunt fallacia Accidentis, per quas*
Diabolus vult ipsam amovere Substantiam. Abusus
enim nihil aliud, qvam perversus & immoderatus rei
usus est; qui tamen minime impedit, quo minus rei
sua maneat dignitas, suumq; virtuti pretium relin-
qva-

lis, eo
, rem
o lustu
elgio;
vando
potius
a, pro
oratam
trahun
se sacra
dubiis
sum &
gesta &
decla
am Ec
stiment
elimina
commi
a, Legis
; Et quis
iciat?
therihit
per qua
Abusu
ratus
ainus i
m reli
qva
qvatur. Non ideo aspernatur cibos, qvod helluo-
ni causam ægræ valetudinis afferant: nec ideo vina,
qvod nimia ejus potio, bibaces aliquando ebrios red-
dat ac temulentos. Nunqvis medicinam aut philo-
sophiam ideo vituperet, qvod illa languidos non
semper reficiat, hæc improbos non semper emendet?
Hominum hæc vitia sunt, non rerum, non virtutum
aut scientiarum. At illi tamen propter solos homi-
num abusus, qvorum plerosque tantum fingunt; &
Symbola fidei, & Absolutionis mysterium, & Sa-
cram Cœnæ, qvin & ipsam Ecclesiam deserunt, re-
pudiantque & aspernantur. Scite ac prudenter inquit
Isocrates: ἡ πατηγορηλέον τέτων τῶν πραγμάτων
ἔσιν, διὰ ὃν αὐτοὶ τις μετ' αἰρετῆς πλεονεκτήσειν: ἀλλὰ
τῶν ἀνθεώπων, τῶν περὶ τὰς πράξεις ἐξαμαρτα-
νόντων. Non accusandæ res illæ sunt, per quas cum
virtute aliis prodesse possis: sed homines potius, qui
res illas male tractando corrumpunt; tandemque con-
cludit: ἡ δίναιον τὴν τῶν ἀνθεώπων προνησίαν ἐπὶ¹
τὰ πράγματα μεταφέρειν: ἀλλ' αὐτὸς ἐκέινος
ψέγειν, οσοι τοῖς ἀγαθοῖς κακῶς χρῶνται. Non
convenit, hominum improbitatem in res transferre:
sed illi ipsi culpandi sunt, qui bonis rebus male ut-
tuntur. Orat. que Nicocles inscribitur sub init.
Eqvidem sapientis semper suit, & divini cum primis
Tractatoris esse debet, naturam rei a corruptelis, u-
suinque adeo ab abuso sedulo distingvere, & ubi fieri

possit, separare. Sed ipsum rei usum cum abuso tolere, non nisi illorum esse, compertum habemus, qui seditiones & turbas in Ecclesia concitarunt. Vetus ille Diaboli coccylus est, ut, quicquid impietatis & vitii in Ecclesia laboritur, id omne veritati doctrinæ adscribatur, eoque nomine, illa in erroris aliquam suspicionem adducatur. Jam Apostolorum tempore, inimicerant crucis Christi, qui ideo Evangelium redarguebant, quod Judeorum aliqui non crederent Christo: sed respondet gentium Doctor: Μὴ ἡ ἀπίστα ἀντῶν τὴν πίσιν τὸ θεόν παταγήσει; μὴ γένοιτο. Num incredulitas illorum fidem Dei faciet irritam, inanem aut falsam? absit. Rom. III, 3. Iterum, cum aliqui peccandi licentiam, dogmati de Remissione peccatorum gratuita, imputarent, adeo indigne hoc fert Apostolus, ut rem blasphemiae non absimilem putet, eoque convitatores, justo Dei iudicio tradat v. 8. conf. Cap. VI. I. 2. 15. Gentilium criminationes quis nescit? quippe qui fidem in Christum omnium calamitatum causam allegabant, Deosque ac Deas omnes poscebant vindices, ad religionem Christianam penitus extirpandam: quod argumentum eruditissime persequitur Arnobius *adversus Gentes* L. I. p. 9. seq. Ceterum cum Donatistis, tanta Sectariis nostris intercedit cognatio, ut tantum non prognati ex iisdem videantur. Nam & illi ab Orthodoxorum coetu secedebant, & in suis separa-

paratim conventiculis congregabantur, Augustino teste.
lib. I. contra Parmen. p. 14. Tum & singularem vi-
tæ sanctimoniam præ se ferebant: *Quia vobis spe-
cialem sanctitatem de superbia vindicare contenditis;*
ubi vultis, ibi est Ecclesia, & non est, ubi non vultis.
*Ille vobis videtur Christianus, qui quod vultis fece-
rit, non quem fides adduxerit,* Optatus Milevi-
tanus seculi IV. Pater de iis inquit, lib. II. de Schis-
mate Donatistarum p. 35. Qvo qvidem libro totius
Schismatis originem & progressum aperit; Dona-
tistarum mores protervos ac tumidos depingit,
fraudes ac mendacia refellit, & Ecclesiæ catholicæ
causam adversus eorum columnias, non minori
modestia quam doctrinæ & acuminis laude tuetur.
Perquam autem familiare illis fuit, convitiis pro-
scindere catholicos: *Maledictionibus tuis, cum ho-
minem lingua percutias, indubitanter homicida es,*
cum per te mortuus fuerit, qui vivebat. Quisquis
*talis ex vobis est, frustra se Christianum aut Sacer-
dotem Dei profitetur.* ibid. p. 73. *Nullus vestrum*
est, qui non convicia nostra suis tractatibus misceat.
Lectiones Dominicas incipitis, & tractatus vestros
ad nostras injurias explicatis. Profertis Evange-
lium, & facitis absenti fratri convivium. lib. IV.
p. 121. Nec aliud contumeliæ genus erat, quam
qvo nova hodie pietas non afficit. Nam Pagans
appellabant orthodoxos, qvod Deum facie ad
aram

aram conversa invocarent. *Ib. lib. III. p. 112.* Nec non ψυχικοὶ seu carnales, qvod statum conjugii inirent. *Aug. c. Parm. lib. II. p. 25.* Inprimis autem pro immundis ac pollutis reputabant eosdem, qvod in Ecclesia, ubi boni æque ac mali tolerantur, persistenter. *Optatus Mil. lib. III. p. 112.* Ut ut vero inter Donati asseclas & avaros & adulteros & calumniatores & qvosvis alios prævaricatores designaret Augustinus, tamen cum Ministros aliquando non probos in orthodoxo coetu conspicerent, *Baptismi* æque ac *Cœna* Sacramenta ab illis dispensata, ut invalida rejiciebant, & pro irritis habebant, *c. Parm. l. I. p. 13.* Ita hypocritæ a reprehensione morum, qvam prætendunt, ad ipsius fidei eversionem tandem progrediuntur. Omitto nunc Pelagianos, qvi ex hominum vitiis colligebant, ordines ac status hierarchicos non esse a Deo institutos, ideoqve vel purgandos ab abusibus, vel penitus abrogandos, de qvo passim etiam conqueritur Augustinus. Lubens prætereo Schwenkseldi nærias, qvi singulis fere paginis, abusus hominum crepat, saltem, ut Lutherο ægre faciat, ejusdemq; doctrinam, velut ademendandos homines inutilem, populo exosam reddat. Huc saltem pertinet, qvod de Anabaptistis sui temporis scribit Lutherus. *Fatentur*, inquit, *Evangelii præconium nobis non deesse*, garriunt vero deesse, nobis *Evangelii fructum*: *Sed fructus nomine, homines a fide ad opera devocant, tolluntque adeo*

2. Ne
onjugi
s autem
quodin
persiste
nter Do
niatoru
Auguli
obosin
reac
n rejicie
Ita hy
endun
liuntur
itiis col
on esse i
busibus
m con
enfeld
ominut
emq; de
utilent
qvod
Farenn
garrin
nthus si
llanum
al

ādeo salutis acropolim, qvæ est fides in Christum: Ibi
demque copiosius demonstrat, omnes facile hære-
ticos, a prætensis hominum vitiis traxisse originem,
& sic in Christum, lapidem angularem, impeglile.
Tom. V. Altenb. p. 919. Tandem eo res summatim
redit: veritatem Ecclesiæ non ex sanctitate morum,
qvippe qvam vel sceleratissimus hominum mentiri
potest, sed ex *incorrupta Evangelii doctrina, recta-*
que Sacramentorum administracione, unice dijudi-
candam esse. Id qvodjam pridem ex sacris literis de-
duxit antiquitas: idem & Confessores nostri in me-
dio hostium fortiter evicerunt, *Art. VII. Aug. Conf.*
Jam autem Verbum Dei recte apud nos doceri, it-
idemque Sacraenta rite administrari, miro Nova-
tores consensu testantur: itemq; nolint velint, hacte-
nus fateri coguntur. Ecqvid igitur causæ est, qvod
Ecclesiam, qvam matrem agnoscent, tot abusuum
ream faciant, qvodq; unius alteriusq; personæ viti-
um est, in totius Ecclesiæ opprobrium convertant?
Salvum nobis verbi præconium sit, qvo doceantur
& qvotidie corrigantur homines, & fieri non potest,
qvin per insitam ejus potentiam, qvotidie & conver-
tantur aliqui, & ad salutem perducantur. Itaq; B. Lu-
therus & Parastatæ ejus, reformationis negotium
non ab hominum moribus, sed a recta in Deum fide
exorsi sunt: ipsiq; de abusibus Articuli, qui inseqvun-
tur,

B

tur, eo tendunt, ut redarguant, non qvod moribus
tantum, sed qvod fidei maxime repugnat. Cum enim
Cæsarea propositio A. 1530. promulgata, exigeret, ut par-
tes litigantes cum de fidei controversis, tum de abusi-
bus suam exhiberent sententiam: Protestantes, man-
dato Cæsaris obsecuturi, *initio* fidem suam XXI. Arti-
culis declarare, *posthinc*, qvi ex fide erronca fluenter,
abusus, simul indicare debuerant. Qvare, non tam
corruptio morum aut mala exempla, a communio-
ne Romanæ Ecclesiæ segregarunt nostros: qvam
prava dogmata; eaqve non privata sed publica: non
tolerata sed defensa mordicus & propugnata; id
qvod ex Pontificum & Conciliorum decretis atqve
canonibus ipsis abunde liqyet. Vitia certe & Lapsus
erunt, donec homines, qvos tamen minime *gratia*
Evangelica parit, sed *hominum incredulitas*, qvæ Evan-
gelio refragatur *Heb. IV, 6. Joh. XVI, 9.* Hinc Deus
Ministerium reconciliationis dedit, qvod per Legem se-
curos prosternat, per Evangelium prostratos erigat,
& qvibuscunqve abusibus ac nævis medeatur. Qui
Ecclesiam formare & fingere tentant a peccatoribus
liberam, difficilius, fateor, negotium suscipiunt,
qvam Prophetæ & Apostoli peregerunt. Et Aposto-
lorum authoritate, nunqid inter homines sublimi-
us fuit? Narrabantea, qvæ viderant oculis: audierant
auribus: & Prophetarum oraculis firmata fuerant.

Eadem

Eadem omnes, & eodem spiritu loqebantur;
aderat præsentanea miraculorum vis; aderat Spiritus ille igneus, qui se se moribus illorum vultuque
& oculis promebat. Et tamen impedire non poterant, quo minus plurimos pertulerint malos. Erat,
qui palam uxoris loco novercam habebat; erat Demas, qui relicto Evangelio, seculo adhærebat; erant,
qui fraudarent fratres, mentirentur Deo & hominibus; erant qui blandiloquii seducerent corda simplicium, qui Angelos sibi apparuisse fingerent; haec
aliaque multa ex Epistolis Apostolicis cognoscas. Sane quamdiu trahitur per hujus Ieculi fluctus Ecclesiæ
fagena, necdum ad littus pervenit, malis subinde bona
permixta sunt; eaque semper fuit rerum humana
rum conditio, eandemque semper futuram esse,
existimamus. Nostrum denique, & cuiusvis adeo
boni pastoris est, non universam Ecclesiæ scenam
invertere, propter malos, sed docere errantes, ar
guere feroce, erigerelapsos; itemque facere, quod
aprobris medicis fieri solet, non ut res ipsæ tollantur,
sed vitia rerum, quoad fieri potest, resecentur.

Hoc ipsum vero negotium sibi datum intelligit,
VIR Admodum Reverenda dignitate & eruditio
nis fama Clarissimus, DN. M. GEORG. SIGIS
MUNDUS GREENIUS, Ecclesiæ, quæ apud
Luccenses in Lusatia inferiori colligitur, Archidia

conus multo vigilantissimus; cui proinde ista nunc
solennia paramus. Cum enim duce virtute, & co-
mite Superiorum favore, ad supremam in Theolo-
gia dignitatem adspiret, neque tamen remotis ar-
bitris ac testibus eo contendendum sibi putet; vitæ
laborumque aliquod compendium more veteri
hic præmittendum erat. Qvod si autem fortes cre-
antur fortibus & bonis ceu credidit vetustas, & sub-
inde comprobavit experientia; est certe, de quo si-
bi gratulari Noster vel maxime possit. Patrem enim
divino munere habuit B. GEORGIUM GREE-
NIUM, Virum de Academia nostra, & orthodoxa
Ecclesia in Exemplum præclare meritum; quippe
qui primum artis Poeticæ & Historiar. Professione
publica, quam hic ornaverat, immortale quoddam
nomen sibi peperit; dehinc in Aula Electorali SAX.
Concionatoris dignitatem sustinuit, ea fide dexte-
ritate ac vigilancia, ut laudem nostram id longissime
supereret. Namque ter & amplius DIV. IOANN.
GEORG. III. HEROEM INCLYTUM, velut sago
indutus, in aciem comitatus fuit, valetudinem
que ac vitam ipsam, tot itinerum molestiis ita ex-
hausit, ut tandem ad Summum Præsulis Ecclesiasti-
ci munus, a SERENISS. EL. evocatus, fatis conce-
deret, & ceu miles in acie oppressus, extra patriam
etiam humaretur. Matrem vero nactus est, ma-
jorum gloria perinde claram, URSULAM DO-
RO-

ta nunc
& co
Theolo
notis ar
et; vizi
e veteri
rites cr
& sub
qvo li
m enim
GREE
nodos
qvi p
fessio
oddam
ali SAX
de dext
ngissim
OANN
lur sag
udinem
is ita c
clesiafi
s conc
patrini
est, me
M DO
RO

ROTHEAM REINHARDTINAM, B. D. ELIÆ SIGISMUNDI REINHARDTI, Professoris Theologi, & Lipsiensium Antistitis multo gravissimi, filiam, quæ primogenitum hunc filium, voto quasi sacris studiis destinaverat, antequam edidisset in lucem. Itaque Parens adhuc puerum, capacissima præditum indeole, doctissimis morum formatoribus erudiendum dedit, ut prima Juventutis initia artium & lingvarum cognitione fideliter imbuerentur. LEMMIUM enim, SCHULZIUM, ER-MELIUM, HEIDERUM, qui jam in Ecclesiis & Ludis literariis præclare suas obeunt partes, inter eos numerat, quorum sub disciplina & institutione feliciter profecerit, ut quoties filium tentaret optimus Parens, de egregiis ejus profectibus gauderet, ac de futuris etiam doctrinæ incrementis optime speraret. Sed rebus humanis expectatione citius ereptus, non potuit amplius dirigere studiorum cursum, cuius tam eximia quædam linea-menta præscriperat. Itaque Juventutis moderatio ad DN. D. GUMPRECHTIUM, JCT. CL. devoluta est, cuius viri prudentiam, humanitatem & paternum erga se animum, mirifice deprædicat, ejusdemque se debere consiliis fatetur, quod in Academiam paulo serius, ac constitutum fuerat, se recipere. Neque id sibi non fructuofum fuisse, vel ex eventu cognovit. Nam paulo factus

maturior, & XVIII. ætatis annum ingressus, idoneum se demum Academiæ civem fore intellexit. Itaque hanc Academiam, quam a natalibus patriam appellat, studiorum matrem sibi delegit. Fidei autem curæque meæ a Patronis commissus, nihil inconsulte ac temere egit. Sed quod omnium primum esse debet, erecto animo ad egregia illa & vere nobilia sapientiæ studia se contulit. Ut enim omnium rerum, sic & literarum quædam in Academiis intemperantiam deprehendimus. Plerique hodie curiosæ illa & transmarina tantum placita querunt, & peregrinorum auctorum nominibus se oblectant, domestica vero, & quæ ad circulum solidioris scientiæ pertinent, negligunt, nubesque & inania prensant. Ab his revocatus Noster, Viros toto eruditorum orbe clarissimos adiit, ut KIRCHMAERUM, STRAUCHIUM, ROEHRENSEUM, SCHURZFLEISCHIUM, B. DONATI, DASSOVIUM, B. KNORRILUM, ROESCHELIUM, WICHMANSHAUSIUM, SCHROEERUM; atque ex horum ore & disciplina pependit totus, ut eam, quam Græci vocant ἐγκυλοπαιδείαν addisceret, nec illotis, quod ajunt, manibus, sacræ scientiæ studium aggrederetur. Inprimis autem DNN. CHR. ROEHRENSEO & CONR. SAM. SCHURZFLEISCHIO, Viris de Republica literaria immortaliter meritis, constanter adhæsit, iisque studia

studia sua mirum in modum probavit. Alterum
enim studiorum Patronum & Hospitem nactus est,
alterum vero, adeo erga se benignum sensit, ut, cum
ad amplissimae Bibliothecæ usum, tum quoque ad
familiares congressus fuerit admisus. Quibus rebus
factum, ut lauream Philosophicam indeptus, eodem
Præside, Philologem quoddam, de Græcorum
verbo: *τραγῳδεῖν*, publice defendideret, eoque spe-
cimine viam sibi muniret, ut ipse Præses de *Scho-
liaſte Aristophanis*, repetita vice disseruerit. Græ-
cas enim literas ita excoluit, ut cum plurimis de
palma certare possit. In Philosophia vero, quan-
tum profecerit, geminæ disquisitiones testantur,
quas de *Propositionibus exhibitoris*, luci publicæ ex-
hibuit. Parum vero est, scire quicquam, nisi addo-
ctrinam, quam suo quisque studio consecutus est,
adjungatur usus freqvens, quippe qui omnium ma-
gistrorum præcepta superat, animumque obfir-
mat. Hinc & alios docendo profecit Noster, illud-
que obtinuit, ut non modo apud suos, brevi incla-
resceret, sed & Ampliss. Philosophorum Ordini ad-
scriberetur; quem adeo locum, erudita disputatione
de *Anchialo Martialis*, cum laude assertuit, & ul-
tra biennium ornavit. His ita feliciter confectis,
totum se Theologiæ studio addixit. Sive autem
Theologiam Exegeticam, sive Dogmaticam, sive
denique Polemicam expeteret, ex Venerandis Or-
dinis

dinis nostri Viris, Theologis de Ecclesia Christi meritissimis, DNN. D. DEUTSCHMANNO, D. LOESCHERO, D. HANNEKENIO, nihil non horum se hausisse, grato animo fatetur. Utrum denique mihi quicquam in hoc genere debeat, qui per quadriennium fere eodem victu & domicilio mihi conjunctus, Scholisque meis innutritus fuit, ac me Praeside, aliquot argumenta publice defendit; malim istud a GREENIO meo, quam a meipso commemorari. Interim jucundum est, Deum laboribus nostris gratiam subinde adspirare. Tandem vero, cum aliquid ornamenti officio suo, quod nunc sustinet, accessurum crederet, si lectis antecedentibus vestigiis, honoris, in Theologia, gradum caperet, idque a Collegio nostro modeste efflagitaret: pronus ac faciles nos omnes, ad hoc ipsi praestandum officium invenit. Cum proinde cursum publicorum speciminum, ut par est, ingredi, & cunctina luce hora IX. fortunante Deo, Orationem praemittere solennem constituerit, unicum illud superest, ut *Magnif. Acad. Rectorem, Perillustres Liberos Baronos, Patresque conscriptos & Cives*, ea, qua decet, observantia invitemus. Deus vero immortalis Rempublicam & Ecclesiam servet, annumque secularem felicem & auspicatum nobis omnibus esse patiatur. P.P. Dom. III.
post Epiphan. cl^o Iccc.